

I
II
III
IV
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII



INDEX LIBRORVM VOLUMI- ne hoc Comprehensorum.

- | | |
|---|---|
| <p>I. Orationes sua. 1. De Linguae Hebrae Laudibus. 2. De triumphu Iudaicum Hebrae Graece et Latina studio coniungendo.</p> <p>II. Oros tres Jacobi Topotii de motu contra Turcam Principum Germanorum concordia coniungenda.</p> <p>III. Classicum ad Germanos contra Turcas.</p> <p>IV. Hercules Tegatus. Laudas Funeribus Georgii Frederici Marchionis Brandenburgii.</p> <p>V. In Natalem Mauriti Landgravi Hassie.</p> <p>VI. Hermannii Kirchneri Oratio, et solennis Actus Promotionis.</p> <p>VII. Oratio de Vita et Morte Vladislaus de Neapolitani.</p> <p>VIII. M. Voiti eorum quibus Augusto et Ernesto Duc. Sumburci.</p> <p>IX. Lacryma Latina de obitu Frederici Mauriti Principis Anhaltini.</p> <p>X. Voiti Viluiperato et Laudas Alie.</p> <p>XI. Parentatio Christoph. Cesari scripta.</p> <p>XII. Laudas Funeribus Polycarpi Lyseri.</p> <p>XIII. Oratio de libera Religionis Conessione.</p> <p>XIV. Oratio de Scholis.</p> <p>XV. Festum Scholasticum Gregorianum.</p> <p>XVI. Tractatus de Communi.</p> <p>XVII. Caspiti Epistola.</p> <p>XVIII. Indicium Funeris Petri Matthaei Wambrechtii.</p> | <p>XIX. Disputatio de Peste.</p> <p>XX. De Casu; suspendii Laudibus.</p> <p>XXI. Disputatio logica de Testimonio.</p> <p>XXII. Theses de Locatione Conductione.</p> <p>XXIII. Rudimenta Linguae Sannice.</p> <p>XXIV. Sibi procer ad Drum.</p> <p>XXV. Elegia continens passionem Christi.</p> <p>XXVI. Programma ab die festo Paschali.</p> <p>XXVII. Sarsa Dorotiea Helwigii.</p> <p>XXVIII. De Custodia Anglorum.</p> <p>XXIX. Paraphrasia Poetica Psalmi 68.</p> <p>XXX. Voiti de natura Anglorum.</p> <p>XXXI. Victoria Christianorum contra Turcas.</p> <p>XXXII. Liber de Rebus Pannonicis.</p> <p>XXXIII. Classicum adversus Turcas.</p> <p>XXXIV. Oratio contra Furores Turcos.</p> <p>XXXV. Parvitas illiusi Dno Wilhelmo Turci capto.</p> <p>XXXVI. Symbola Heroica Principum Anhaltinorum.</p> <p>XXXVII. Epitaphia Bernardo Principi Anhaltino scripta.</p> <p>XXXVIII. Carmen lugubre de Johanne Ernesto Principe Anhaltino.</p> <p>XXXIX. De Obitu episcopi.</p> <p>XL. Psalmi Davidsii IV. Herimani.</p> <p>XLI. Ad Radislaum literis Burzoni.</p> <p>XLII. Proemata Wolfraimi Anhaltini.</p> <p>XLIII. Epitaphium W. Junckeri.</p> |
|---|---|

- XLIV. Catalogus Episcoporum Halber-
 stadensium.
 XLV. Brevis Hermannii.
 XLVI. Gratulatio ad Wennemeierum
 de gradu Doctoris.
 XLVII. Gratulatio de Magisterio.
 XLVIII. Gratulatio de honore Notariatus.
 XLIX. Nuptii Petri à Frense
 I. M. Abrahami Verunschaltij.
 II. Johannis Hampli.
 III. Johannis Fabri.
 IIII. M. Verunschaltij.
 V. Pauli Bergmanij.
 VI. Pauli Helwrichij.
 VII. Abrahami Viertelalerij.
 VIII. Pauli Helwrichij.
 IX. eundem.
 X. D. Martini Coppemij.
 XI. D. Davidis Wennemeierij.
 XII. Epitaphium D. Johannis Sommerij.
 XIII. Laurentii Brückmannij junioris.

S. V

IN NATALEM ILLU-
STRISSIMI ET POTEN-
TISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DN. MAVRITII,
HASSIÆ LANDGRAVII, COMI-
tis in Catzenelnbogen, Dietz, Zigen-
hain & Nidda, &c.


ORATIO.

Directore

CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO,
Dn. HERMANNO KIRCHNERO,
J. U. D. C. P. CÆSAREO, ORATOR. ET HISTO-
riar. in Illustri MAURITIANA Professore publico,

IN FREQUENTI CONVENTU
ACADEMIÆ MARPURGENSIS MEMORI-
TER RECITATA, XXV. DIE MAJI, QUI
ipfius Celfitudinis eft natalis, Anno Chrifti 1608.

à
M. GREGORIO SCHONFELDIO.



MARPURGI CATTORUM, 5.
Excudebat Paulus Egenolphus, Typogr. Acad.

MDCIIX.

IN NATALIS
SERRISSIMI ET
SERRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. MAURITII
HASSIAE LANDGRAVI COMITIS
SERRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
SERRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
SERRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

ORATIO
D. HERMANNI KIRCHNERI
J. D. C. P. SERRISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
SERRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

ACADEMIAE HARPURGENSIS MEMORIAE
SERRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
SERRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

OR. GREGORIO SCHWENKELIO
SERRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
SERRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

MARCI CATONUM
SERRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
SERRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
MDCIX





ILLUSTRISSIMO ET
POTENTISSIMO PRINCIPI AC
Domino, Dn. MAURITIO, Landgravio Haf-
siae, Comiti in Cattimeliboco, Decia,
Zigenhaina & Nidda, &c. Domi-
no meo clementissimo.

DE Persarum moribus, Illustrissi-
me ac Potentissime Princeps, Do-
mine clementissime, historia refe-
runt: quòd regibus iter facienti-
bus munera offerre consueverint,
cumq; Artaxerxi in itinere vulgaris quidam ope-
rarius obviam factus, non haberet, quod more pa-
trio exhiberet, aquam è profluente flumine amba-
bus manibus haustam obtulerit: risit Rex, accepitq;
clementer, rem potius ex offerentis promptitudine,
quàm natura ac dignitate ejus metiēs. Judicabat
enim non minus regium ac humanum esse, parva
promptè clementerq; accipere, quàm magna libera-

A 2 liter

liter benigneq; largiri. Ad eundem modum in tuo,
Illustrissime Princeps, diu multumq; optato in hanc
civitatem ingressu, omni populo exultante & tripu-
dante, ego has viles chartas letitiæ meæ testes &
gratitudinis supplice manu T. C. offero. T. enim C.
nihil non debeo, à qua accepi omnia quæ habeo, T.
C. scholæ aulicæ acceptum refero, quicquid in hoc
dicendi tyrocinio possum, quod etsi perexiguum in
me adhuc esse facile intelligo, ultroq; fateor: his ta-
men initiis incrementa subinde spero majora. T. C.
humiliter oro, ut oblatas has studiorum meorum
primitias (ut olim aquam istam Artaxerxes) vul-
tu sereno aspicere, illisq; porro clementer favere di-
gnetur. Deum omnis boni fontem precor, ut T. C.
unà cum Illustrissima domo diutissimè omnibus
bonis florentem clementer conservatam velit:

T. Celf.

Cliens

M. Gregorius Schönfeldius.





ORATIO
IN NATALEM ILLU-
STRIS. PRINCIPIS.



UOD antiquitùs à sapientissimis viris dictum est: non licere cuiquam mortalium, quid facturus, aut non facturus sit, certò pronuciare, quandoquidem in vitæ nostræ curriculo multa eveniant præter & contra omnem hominum spem atq; opinionem; id ego & sæpè antehac in aliis casibus, tum verò hoc ipso tempore in meipso verissimum esse certò comperio. Nam certò decreveram ac constitueram, cùm superioribus mēsis ex hoc augustissimo loco tertiam meam orationem dixissem, nunquam eandem provinciam suscipere, nunquam eosdem labores subire. Cogitabam enim postquam memoriæ meæ non exiguam imbecillitatem tum temporis animadvertissem, longè satius esse desinere, quàm deficere, imò existimabam consultiùs ac longè tutiùs esse, me potiùs alios audire, qui & memoriæ felicitate essent superiores, & doctrinæ copiâ instructiores, & styli elegantiam præstantiores, quàm ipsum in hanc arenam rursus descendere: jamq; in eo totus eram, ut omisso dicendi studio ad aliquam facultatem animum applicarem meum. In hac me cogitatione defixum, & tanquam in portu complicatis velis, cæterisq; armamentis omnibus, quæ ad dicendum potissimùm requiruntur,

runtur, sepositis, quiescentem hic dies, nobis, qui in hac flo-
rentissima Academia spiritum & anhelitū ducimus, omnium
suavissimus, dulcissimus, omniumq; dierum, qui in toto an-
no recurrunt, amœnissimus revocavit, & animum subito
mutavit meū, ut rursus subductam jam navim mutato consi-
lio ab ora solverim, & vela ventis reddiderim. Nam si quando
ullo unquam tempore exercendæ vocis justissimam habui
causam, certè hodiernum diem, quæ (ut Jurisconf. præcep-
tum est) pro homine compellare debitorem solet, silentio
meo transmittere nec debui, nec potui. Quid ita verò? di-
cam, & dicam liberè. nec enim gaudium hoc, quod in me est,
tegere possum. Dies hic 25. est mensis pulcherrimi Maji, quē
Illustriss. noster Princeps, & Dominus clementiss. Dn. MAU-
RICIUS Hassiæ Lantgr. &c. Ecclesiæ Christianæ tutor &
defensor acerrimus, pater patriæ, Reip. salus, Academiæ
verò hujus nostræ restaurator munificentissimus, amplifica-
tor potentissimus, nostrorum quoq; & studiorum nostrorum
coelitus delatum divinum columen, felicissimum suę vitæ na-
talem & auspicem habet. Dies profectò ille omnibus nobis,
quorum vita, salus, spes, opes, fortunæ, felicitas ab Illustrissi-
mi hujus patriæ parentis incolumitate dependet, longè ju-
cundissimus, dies certè omnibus, qui incomparabilis hujus
literarum atq; studiorum patroni gratiâ, favore, liberalitate,
benignitate, ope & auxilio præsentissimo in hac florentissi-
ma Academia perfruuntur, acceptissimus, gratissimus, & o-
mnium omninò dierum longè commendatissimus. Et sanè
facilè crediderim, imò certo certius affirmaverim, Deum o-
mnium rerum autorem, & primum omnis boni fontem, Na-
turamq; ipsam hunc tantum Principem non ullo alio, quàm
hoc ipso Maji tempore, nasci voluisse, ut eo nobis significa-
ret, quemadmodum amœnissimus hic & humano generi sa-
luberrimus Mensis Majus omnia omninò, quæ in immenso
totius

totius terræ gremio brumali frigore prius, & hyberna glacie
constricta erant & labefactata, commodissima sereni aëris
temperie resolvit, & in pristinum vigorem reducit; (Omnia
enim nunc florent, ut cum Ovidio loquar, nunc nova tem-
poris ætas, Et nova de gravido palmite gemma tumet,) ita fo-
re, ut noviter ille, & felicissimo sidere recens in lucem editus
Princeps, veluti aureum quoddam omnium bonarum ar-
tium & virtutum ver, sit humano generi allaturus omnia, quæ
execranda prioris seculi pravitate in Ecclesia Dei fœdata
hactenus, & perniciosissimis perniciosissimorum errorum
portentis corrupta fuerunt, & mutilata correcturus, & divi-
no fretus numine demum in integrum restitutus atque e-
mendaturus. Nec sanè res aliter sese habet. Ita enim præclare
res suas gerit, ut non ab hominibus, sed à Deo cœlitus nobis
esse donatus videatur, quo vivente in ditioe Cels. ejus flo-
rere videmus omnia. Floret religio vera & orthodoxa, floret
æquitas & justitia, & in summo vigore floret nostra Acade-
mia, florent studia nostra, & ut summatim dicam, omnia flo-
rent. Quocumq; enim oculos nostros convertimus, iis cer-
nimus, & manibus etiam nostris palpare possumus admiran-
dam nostri Principis erga Deum pietatem, erga subditos di-
lectionem, erga literarum studia benevolam affectionem,
nullis unquam elogiis satis deprædicandam. Ejus igitur &
tanti Principis, qui rectè Oculus Imperii summo jure ap-
pellari potest, natalem non decorabimus? non aliquo con-
ventu exornabimus? non expoliamus? Si causam habuisse a-
liquam veterum gentium mores atq; instituta videantur, cur
superioris mensis Aprilis Nonas, quòd Alexander M. illis in
lucem editus fuerit, mirifica sollennitate tum Græci, tum
Macedones celebrarint; Quartum verò Idus Julias, quòd
Cajus Julius eo die natus, Romani summoperè coluerint; si
nonum Cal. Octobris memoria geniti Augusti; si duodeci-
mum

num Romuli nativitate festum, sacrumq; habuerint, ceddò
quid prohibet, quid obstat, quid impedimento est, quò mi-
nus etiam nos nostri Augusti, nostri Phœbi, nostri Evergetæ
lucem natalem honore, quo possumus maximo celebremus?
huncq; diem omnium suavissimum suavissima hæc nostra ex-
cipiamus voce, dicentes:

Salve festa dies toto venerabilis ævo,

Qua vitæ subit lumina MAURITIUS.

& cum Comico exclamemus: O festum diem, qui omnium
felicissimus nobis hodierna luce exortus est, qui admonet
nos de gravissimis rebus, quas in celebratione natalis nostri
Principis à nobis fieri, ipsa vult & postulat æquitas. Quæ verò
ista? hæc scilicet ^{1.} ut optimū hunc nostrum Principem, velu-
ti singulare Dei donum, gratissima mente agnoscamus: dein-
de ^{2.} ut quibus virtutibus non modò suæ provinciæ, sed uni-
verso etiam Rom. Imperio præluceat, perpendamus: & ^{3.} be-
neficia, quibus velut inexhaustis beneficentiæ rivis commu-
nem hanc nostram patriam, & præsertim Ecclesias atq; scho-
las irriget, locupletet, augeat, atq; amplificet, consideremus:
& ^{4.} deniq; ut pro salute ac perpetua prosperitate, longissi-
maq; vita tanti benefactoris nostri vota debita persolvamus.
Sic, sic, Auditores, natalem nostri Principis honorificè, piè,
sanctèq; celebraverimus. Id igitur agere hac hora constitui.
Etsi verò me non fugiat, quod non desint adolescentes & in-
geniosi, & eruditi, & exercitati magis, qui ad hoc munus obe-
undum longè acutiùs & elegantius me possint dicere, nihilo-
minus tamen provinciam hanc lubenti animo suscepi vestrà
pristinâ fretus benevolentia: hæc q; recēs vestra, ô Auditores,
benevolę attentionis significatio vos me benevolè & attentè
audituros esse pollicetur, quod ego nunc summis meis à vo-
bis oro precibus. Imò obsecro vos, ut si vel memoriâ, quod
facilè fieri potest, vel linguâ etiam lapsus fuero, veniam mihi
detis

MIUM

detis, & cùm tenuitati ingenii mei, tum etiam temporis angustia ascribatis: ausim ego contra hoc vobis polliceri, horam illam, quam mihi largiemini, nō sine ingenti vestro comodo atq; fructu esse elapsuram.

Ea, ô Auditores lectissimi, seculi nostri, proh dolor! est perversitas, ea est deploranda & planè diabolica opinio, ut omnia, quaecumq; bona in mortales divina cælitus demittit majestas, fordeant mundo, & à plerisq; mortalium ne agnoscantur quidem, gratissima taceam ut excipiantur mente. O improbitas hominum! Nescio profectò qua animi hebetudine, haud secus ac Mosaici vultus claritudinem contueri Israëliticum populum non potuisse legimus, ita præsentium gubernatorum præstantiam atque bonitatem, dum ætatem nobiscum agunt, minimè omnium vulgò animadvertamus. Quod sanè deplorandum & detestandum est, non agnoscere quale quantumq; excellens Dei donum sit, bonis frui Principibus. Quod beneficium tantum est, ut nihil cætui ac societati hominum dari majus, nihil reipub. exoptatius, nihil præstantius peti aut rogari ab universis & singulis mortalibus possit, idq; genus hominum, quod Principes bonos gratissima mente non excipit, debitasq; Deo grates pro iis non solvit, ingratiſſimum genus est, perversissimum, in Deum, Magistratū & proximum perfidum, perjurum. Caveamus igitur, ô Auditores, ne isti generi hominum nos ulla ratione adjungamus, sed potius nostrum Principem, nostrum decus, ah quid dico nostrum? nostrum non solum, sed totius Imperii decus, & ornamentum summum divinitus nobis esse datum gratissima mente agnoscamus. Expendamus quæso paululum altius, quatum nobis præ aliis provinciis datum sit beneficium, hoc dum fruimur MAURICIO nostro. Ex sacris accepimus literis, Reginam Arabiæ, cùm audisset sapientiam Salomonis, & vidisset pulcherrimam ipsius Regni constitutionem, sic

Jobanig B dixisse:

dixisse: Beati sunt servi tui, quibus datum est, tuam ut audiant
sapientiam: O Israël, amat te Deus tuus. Nam in solio tuo
sedet tibi Rex, cujus sapientia per totum orbem terrarum
prædicatur & celebratur. En felices hîc prædicantur Judæi,
eò quòd Regem habeant sapientem. Contra verò infelicissi-
mum omnium judicant sacræ paginæ illud regnum, cujus
Magistratus impius est, malus, perfidus. Sic enim sacræ excla-
mant literæ: Væ tibi, væ tibi, cujus Rex puer est, cujus Prin-
cipes manè comedunt, hoc est, luxuriæ qui sunt dediti: Bea-
ta verò terra, cujus Rex pollet sapiëntia. Et paulò post addunt:
Insipiens Rex devastat regnum, sapiens verò id ædificat. Cu-
jus rei ex 600. exemplis unum dabo luculentissimum. Reha-
biam Rex omnium insipientissimus, cùm respueret cõsiliium
Consiliariorum parentis sui sapientissimi, & lenitate uti ne-
sciret (desipiebat enim) decem, ecce, una vice amisit tribus
Israël. Videte obsecro, auditores, videte quanta cum perni-
cia conjunctum sit Reip. boni si non præsint Principes. Quid
multis? etiam Ethnici, qui lumine scripturæ caruerunt, ex
lumine naturæ providerunt, usuq; & experientia ætatum di-
dicerunt nihil esse perniciosius, turpius nihil Reip. evenire
posse insipiente magistratu. Heraclitus Remp. suam deplo-
ratam esse dicebat eò quòd senatores haberet desipientes.
Id eo modo demonstravit: Secedebat in templum Dianæ,
ibiq; cum pueris ludebat talis; circumstanti & admiranti po-
pulo: Perdidit, inquit, annos, & præstat potius hoc agere, quàm
cum deperditis Senatoribus Remp. deinceps administrare,
annuens vir sapientissimus, omnem operam & oleum perdi-
tam iri, ubi magistratus non rectè informati sint arte regendi.
Hinc Thales laudabat eam summoperè Remp. in qua impe-
ritis & malis imperandi non daretur facultas. Antisthenes
verò felicem esse illius Reip. constitutionem referebat, cu-
jus Princeps à teneris benè esset informatus, & jam factus
grandior,

grandior, ætatem suam ludorum & luxuriæ gratiâ non prosti-
tueret. Zeno agebat, urbes non decorandas esse pretiosis or-
namentis, sed imperantium virtutibus, Quæ virtutes si in Im-
perantibus deficient, miserrimam sanè & omnium infelicis-
simam ejus Reip. esse conditionem palàm dicere & affirmare
non erubesco. Omnibus siquidem legibus privatur Justitia,
pietate, honestate omni exuitur, & eorum loco omnis perni-
cies, morum corruptela, vitiorum colluvies, luxuria, saturitas,
contumelia, discordia, & tandem exitus lamentabilis in eam
inferuntur ac substituuntur. Rege enim deperdito pereat et-
iam Respubl. necesse omninò est. Nam quemadmodum im-
mensum mare natura sua innoxium est rectè utentibus,
si verò violenti flatus in illud irruant, tale redditur uten-
tibus, quales sunt venti, à quibus undequaq; impellitur &
concitatur; ita multitudo & congregatio multorum po-
pulorum redditur, ut communi illo circumfertur proverbio,
Qualis Rex, talis grex. Huic sententiæ commodè etiam asti-
pulantur S. literæ, dum dicunt, quales in Rep. principes sunt,
tales reliqui solent esse cives. Videtis itaq; auditores, quòd
summæ felicitatis sit, habere Principem pium & benè insti-
tutum. Animadvertitis summam esse Dei beneficentiam, si
cui regno præficiat Principem & pium & religiosum. Quò
verò majus, quò divinius hoc beneficium est, eò (quod dolen-
dum est) minus plerumq; agnoscitur, quòd, nisi hic mihi tem-
poris & loci ratio esset habenda, inductione sexcentorum ex-
emplorum sufficienter luculenterque probare possem. Ex
multis saltem pauca attingere liceat. Ponamus nobis ob ocu-
los populi Israëlitici summam cæcitatem, quæ tanta erat, ut
sibi ex aquarum fluctibus ereptum doctorem & ductorem
Moysen divinissimis miraculis confirmatum, vix ac ne vix
quidem pro lectissimo illo Dei Principe potuerint agnosce-
re. Quoties cepas, & allia Aegyptiaca exprobrabant? quo-

ries Pharaonis jugum divini legislatoris præceptis præferre-
bant? quoties murmurabant? fremebant? & tantum non la-
pidibus rectorem divinum petebant, eoq; redigebant, ut se
omnium, quos sol tum temporis intuebatur, infelicissimum
esse pronuntiaret? Quid de Davide, cui Deus ipse manu sua
Regium videbatur imposuisse diadema, commemorem? qui
cum in Israëliticum populum multa & magna sæpè cum
summo vitæ & sanguinis discrimine contulisset beneficia, tot
regnis, tot imperiis, tot provinciis manu sua fortissima fines
Israëlitarum dilatasset, ac longè ampliores reddidisset, tan-
tum scilicet abfuit, ut grata mente id recolerent, & singu-
lare illum Dei donum esse agnoscerent, ut etiam improbo
degeneri filio Absoloni ad persequendum patrem Davidem
auxilium & suppetias ferre non recusarint. Fatigarer in re-
censendis sacri Codicis ingratisimorum subditorum exem-
plis, omnia si recensere vellem: eorum enim sacer iste liber
est refertissimus. Quæ sanè cæcitas, quæ perversitas in ho-
diernum etiam diem durat, & in pectoribus Christianorum,
id quod dolendum est, etiamnum radices agit satis profun-
das. Si enim Princeps pius sit, pro Principe indigno, magi-
stratu non politico diffamatur. Si justitiam exerceat, crude-
lis dicitur. Si leges & statuta nova condat, quæ ad commo-
dum & emolumentum Reip. vergant, tyrannus esse perhibe-
tur. Si temperantiæ studeat & honestati, melancholicus esse
dicitur. Si sit paulò attentior ad rem, & thesauros colligat,
qui tempore necessitatis magnam possint Reip. afferre re-
laxationem, avaritiæ insimulatur. O tempora! ô mores! Ex
illo tanti beneficii contemptu ac incredibile ingratitude,
quòd dona Dei in Principibus bonis non agnoscuntur, non
celebrantur, oboriri justissima raritatis & paucitatis pœna
solet, ut vix singula se cula singulos Principes bonos singulis
gentibus ferant. Quod tam in Israëlitico Regno post Da-
videm

videm & Salomonem, quàm in omnium aliarum gentium imperiis atq; dominationibus perspectu facilimum est. Salomonem secutus est in Imperio filius Rehabiam insipientissimus. Rehabiam excepit filius Abia, in quo ne mica quidem pietatis & avitæ virtutis videre est. Hos secuti sunt tam in regno Israëlis quàm Judæ, quotquot in sacris leguntur literis perfidi, perjuri, nequissimi; Jerobaam, Baasa, Amri, Achab, degeneris patris degener filius Ahasja, Jorã, nequissima Athalia, Joahas, Joas, Jerobeam 2, Zacharias, Sallum Menachem, Beca, Bekaha, Ahas, Hoseas, & omnium horum, quotquot fuerunt, crudelissimū naturæ monstrum Manasses. Contrà verò artis erit, vel sex, vel ad summum septem in populo Dei bonos, pios, & religiosos numerare Reges, Josaphatum, Hiskiam, Azariam, Amasiam, & horum omniū optimum regem Josiam, qui fuit filius monstrosæ illius beluæ Manassis. Quid verò in gentium Regnis boni quæramus, cùm scriptum & creditum constantissima gravissimorum autorum fide sit, omnes veterum gentium bonos Principes annulo exiguo inscribi posse. A primo enim venatore Nimrodo per longissimam plurimorum annorum seriē omnes, ad Sardanapalum usq; regni dedecus & propudium extremum fuerunt. Nominetur unus, qui divinitus populo datus esse videatur. Improbi, crudeles, sanguinarii, fœdi, turpes, libidinosi, omnes injusti, perfidi, avidi. Nihil in Belo, in Nino nihil, nihil in Semiramide fœmina, quod non impudicum, impium, nefandum. Nihil in Ninia, in Arrio, in Armamitre, in Balæo, in Altade, in Ascade, in Amynta, nihil in Belotho, in Lampride nihil, in Sofarmo nihil, nihil in Acracape, qui effœminatissimi Sardanapali fuit antecessor. Quid verò in Medorum Regibus frugi esse existimabimus? Nihil in Arbato laudabile est, in Solarmo nihil est, quod commendari possit, in Diocle nihil, nihil in Astyage. Persicum verò imperium etsi Cyrum

melioꝛem aliis habuerit, quem elogia etiam sacra nominant,
& aliquo modo commendatum habet Darium, attamen ni-
hil virtutis in Cambyse, in Xerxe nihil animi, multò minùs
in reliquis Artaxerxibus. Quid de Romanis Ducibus dice-
mus, quorum insolentia & improbitas & Regni & Regum
nomen omnibus nationibus odiosum fecit? Pudet naturæ
monstra Caligulas, Nerones, Domitianos, Commodos, ô in-
commodos! Bassianos, Heliogabalos, Maximianos, Decios,
Julios in medium proferre: Vix unus ex omnibus Theodo-
sius, unus Constantinus. O rarissimum Dei donum! Princi-
pem bonum, quis seculi miraculum non nominabit? O be-
neficium omnibus ferè gentium ætatibus ac imperiis dene-
gatum! O nos omnium ingrattissimos, si non (qui hodiernæ
diei memoria quasi manu deducimur) cogitationes nostras
animosq; convertamus nostros, & magnitudinem cœlestis
illius muneris in omnium optimo nobis divinitùs concessio
Principe agnoscamus, & gratissima mente percolamus. Ro-
manorum annales hunc 25. Maji diem celebrem hac memo-
ria habebant, quòd eo Fortunæ templum conditum perfe-
ctumq; accepissent. Quid nos? qui omnium virtutum veluti
divinum & augustum templum in Illustriss. nostro Principe
consecuti hoc die sumus, nonne longè dignioꝛem causam
perpetuæ recordationis ex eo habemus? Quæ enim Fortuna
rebus mortalibus major offerri potest? quæ felicitas, quàm
dari optimis & generosissimis majoribus ac parentibus Prin-
cipem similimum, imò verò majorem. Si Quirites veteres de
Hetruscis, quòd suus servus Tullius hoc die triumphaverit,
memorablem eum in fastis suis posuerunt, nobis certè causa
est multò gravioꝛ, ut eandem lucem, quæ patriæ, quod potest
esse ornamentum maximum, omniq; triumpho felicius ac
jucundius donum attulerit, sempiterna memoria afficiamus,
ejusq; Principis nostri virtutes decantemus. Xenophon meo
quidem

quidem iudicio signum infallibile, quo Principes bonos agnoscere possimus, reliquit. At quod illud signum? quæ nota? Dicit bonum Principem ab optimo nihil omnino posse vel etiam debere differre patre. Et sanè sic se res habet. Si enim non sit idem animus Principi erga subditos, qui patri et ga liberos, malè certè sese habet subditorum conditio, & qui magistratus non eodem amoris fervore, eodem intimo cordis affectu subditos suos intimè amat, quo parentes solent amare suos filios, qui etiam non omnia ea, quæ subditis nocere possunt, maturè providet, ut magistratum eum quis non dixerit perjurum, perfidum? Si etiam non omnia ea ordinat, quæcumq; in primis ad Dei gloriam, & salutem subditorum spectant, quod patris etiam officium requirit, magistratum eum grande ac inutile terræ pondus quis non appellabit? qui etiam subditos suos ab omnibus irruptionibus violentiisq; defendit, quod nostros patres facere videmus, eum à magistratus administratione procul amovendum esse quis non iudicabit? A patre igitur nihil differre Princeps debet, qui vult verè Principis mereri nomen. Hoc nunc fundamento jacto agite, auditores, perlustrate mecum, qualem se patrem erga omnes & singulos fidei suæ commissos noster sese exhibeat MAURITIUS. Pater nobis in eo est, quòd paternâ curâ omnes & singulos complectitur, quòd publicæ rei salutem magis quàm privatam commoditatem in rebus omnibus ac singulis spectat, quòd instar fidelissimi patris non modò quæ ad alimoniam vitæ, ad custodiam opum ac facultatum, ad justitiæ & æquitatis administrationem, ad pacem & tranquillitatem retinendam, sed quòd omnium maximum esse iudico, quæ ad animæ nostræ conservationem curamq; immortalitatis pertinent, omnibus modis, studiis, & laboribus omnibus quàm diligentissimè quærat. Confirmat hoc posterius laudabile illud non modò inceptum, sed ad finem
nunc

nunc perductum reformatæ religionis opus: prius autem omnes ejus testantur loquelæ, facta, acta, dicta, huc omnes illæ vigiliæ, huc noctes insomnes, huc cogitationes omnes, huc omnia vota, suspiria, preces, & anhelitus eunt omnes. Veteres bonum Principem pastorem populi appellare solebant. Verè igitur Princeps noster Pastor est, qui omni curâ, omni diligentia prospicit nationi suæ. Ipso enim regente & tenente sceptrâ, nihil unquam, dum provinciæ huic laudatissimæ præfuit, detrimenti cepit respubl. Hic tanquam verus pastor subditis suis exhibere jubet pastum animæ salubrem, potum animæ talem illis porrigi procurat, qui è limpidissimis sacræ scripturæ fontibus fluit atq; promanat, ab omni hominum turbulencia immunem: & tanquam fidelissimus pater contra omnes procellas, fluctus, mundi & Diaboli machinationes subditos suos tuetur. Regnante enim hoc Principe nemo mortalium meminisse in Hassia potest, ulla exteras gentes ullam ausas fuisse attentare irruptionem: & quod gloriabantur Israëlitæ de sapientis Salomonis aureo imperio, quòd cuiq; in summa tranquillitate & pace sedere sub vite & ficu sua daretur, id sanè non minori jure Hassia de MAURITII administratione prædicare potest. Sed & verus pastor in eo est, quòd quæcumq; pertinere queunt ad Hassiæ laudè & decus, ad amplificationem & incrementum antiquissimæ nationis, eorum nihil reliqui gubernator optimus facit. Nihil ille in omnibus actionibus rectè faciendo (malè autem optimus Princeps agere nescit) timet, nihil veretur, nullum unquam periculum religionis gratiâ pertimuit, nullum laborem patriæ causâ suscipere recusavit, verùm quæcumq; Religionis reformatæ conservandæ, & patriæ tuendæ causâ ipsi eveniunt adversa (eveniunt verò non pauca) ea omnia forti animo perfert ac superat, & cum verbis tum factis contra omnes mundi tentationes non minus stabilis ac immobilis, quàm

quàm lapis angularis atq; polus in cœlo sese exhibet. Et quid-
ni esset intrepido animo, cùm certò sciat, se omnia ea agere,
quæcumq; magistratum probum, pium agere decet. Dili-
gens enim divinæ legis custos est, quam legem legislator ille
summus, Deus ter optimus maximus, omnibus mortalibus,
inprimis autem magistratibus, gravissimè gravissimâ cœlitùs
voce commendavit. Præterea piissimorum ac fortissimorum
Regum vestigiis insistit, imitatur Hiskiam, Josiam in eo, dum
omnè Idololatriam abrogat, quæ legi divinæ gravissimè ad-
versatur; proponit sibi in regni administratione incompa-
rabilem illum ac magnanimum heroem, Philippum illum
Magnum, qui fuit miraculum Germaniæ dictus, avum pater-
num, itidemq; Augustissimos illos Saxonæ electores, Fride-
ricum & Mauritium, qui & vitam & sanguinem suum pro re-
ligione & patria intacta conservanda profundere non dubi-
târunt. His generosissimis instructus exemplis, divino insu-
per munitus præsidio, & magnitudine animi cœlitùs dona-
tus, invictus contra omnes mundi dolos, Diaboli machinas,
inimicorum fraudes hæcenus stetit, etiam nunc stat, & dein-
ceps semper stabit noster MAURITIUS. Sua agit: ab im-
pressionibus suos defendit: insolentes castigat: virtute præ-
ditis multùm gratificatur: bonos præmiis largissimis afficit:
omniaq; ea agit, quæ Deo sunt accepta, regno gloriosa, omni-
busq; subditis suis salutaria. Ah! si ipsa fortuna conditionem
muneris nobis exhibeat, si, quod Midæ evenisse in fabulis le-
gimus, consequendi voti potestatem faciat, nunquam vel i-
psa nobis quicquam concedere preciosius, vel ne ipsi posse-
mus aliquid optare aut vovere præstantius, quàm tanto inge-
nio, tanta animi præstantia, tanta eruditionis raritate, tanta
beneficentia & humanitate Principem? Certè graviter me
peccare existimo, si gloriosissimi hujus nostri Principis ad-
miranda facinora, & demonstratam in gubernando populo
C singu-

singularem prudentiam, ac incredibilem illam voluptatem, quam omnibus singulari sua prudentia adfert, non commemorem. At tacenda tamen ea sunt, cum temporis nobis brevis id non largiatur. Non dicam longius de Principis nostri singulari & admiranda pietate; non recensebo ejus Celsi, quæ omnem captum humanum superat, insignem sapientiam, quæ in regendo populo & constitutione aulæ ejus laudatissimæ atq; celeberrimæ elucet mirificè, quæ etiam ad Persarum usq; aures permanavit, qui ad audiendam nostri Principis sapientiam, non secus ac Regina Arabiæ ad audiendum Salomonè, ex Persia Cassellas pervenerunt, & auditâ Principis nostri prudentiâ non sine magna admiratione rursus discesserunt. Prætermittam nunc ejus in re militari præstantiam singularem. Suo enim exemplo multi jam didicerunt Principes, quæ ratione possint singulis horis instructissimi contra omnia bellorum atq; armorum stratagemata apparere, seq; simul, suosque subditos fortissimè defendere. Silentio præteribo, quid & quantum in cæteris omnibus scientiis polleat, quantumq; in omni disciplinarum genere sit apprimè versatus, ne verbum quidem faciam: Quandoquidem itaq; ista omnia propter temporis angustiam silentio involvere oportet, non tamen præterire ulla ratione possum, quin id unum saltem perenseam: Nostrum Principem & armorum peritia & literarum id esse consecutum, ut, quod majestatis esse imperatoris Imperator Justinianus affirmavit, non modò literis & legibus, sed etiam armis decoratissimus habeatur. Hisce duobus excellit quàm maximè, illo omnes irruptiones, invasiones ac devastationes prohibet, ita, ut nemo ditionem ejus vel minimo digito attingere audeat, hoc verò posteriori, literarum scilicet studio, consequitur & præstat, ut pacatè, piè, pacificè in omni Dei timore suum regnum administret. Hæc omnia facile patiar taceri, propterea, quòd in prima mea oratione de
laudibus

laudibus nostri Principis eximiis satis fusè dixerim ac declamârim. Pauca saltem de iis dicam, quæ nos potissimum concernunt, & ea commemorabo beneficia, quæ ad nos ab ipsius Cels. veluti ex fonte promanant. De aliis beneficiis ii, in quos ea quotidie conferuntur, longè splendidius sermonem instituere haud obliviscentur. Hæc autem beneficia, quæ in nos collata sunt, & quotidie adhuc conferuntur, minimè quidem sunt à nobis silentio prætereunda. At quænam illa dicis? Dicam, præstantissimū est illud ex omnibus, quod Generos. Princeps paterna quadam cura hæc Acadmiam, & ita nos omnes amplectitur: hoc celebremus, hoc ut toti mundo, quemadmodum par est, innotescat, totis adnixi viribus prædicemus. Ac certè neminem in hoc cœtu reor esse, quem possit latere, quantæ curæ sit illi hæc nostra Academia. Postquam enim illi hæreditario cessit jure, quàm pulchrè, obsecro, eam exornavit? quantis beneficiis ditavit? quantis exercitiis novis auxit atq; amplificavit? Quis enim Academiam hanc favore, amore, benevolentia, ope, consilio, beneficentia, auxilio prosequitur & adjuvat? MAURITIUS. Quis eam declamandi disputandiq; pulcherrimis exercitiis exornavit? MAURITIUS. Quis Academicorum Professorum numerum auxit? MAURITIUS. Quis eam locupletavit? MAURITIUS. Quis eam pulcherrimis brevi exornabit ædificiis? MAURITIUS. Quis incomparabiles illos duos Jureconsultos, amplissimum Dn. nostrum Procancellarium, magnum illum Vultejum, & magnum itidem Doctorem illum Goeddæum, ad exercitia disputationum, ad multarum gentium utilitatem revocavit? MAURITIUS. Quis eloquentiæ professionem Maroni & Tullio nostro, D. Hermanno Kirchnero commendavit? MAURITIUS. Quis deniq; hanc nobilissimam atq; splendidissimam lectissimorum Studiosorum coronam maximo amore prosequitur? MAURITIUS, MAURITIUS.

RITUS. Is Meccenas summus Academiae, ejusdemque conservator & Augustus Augustissimus. Sed quid in solis tanti splendore me longius fatigem? Video mihi hic idem usuevenire, quod nocturnae oculis accidere solet, ut luminis fulgore acies obruta pervidere luminis claritatem non possit. Plenior certe & refertior haec dies praeclearissimae recordationis, splendidissimaeque collati muneris est, quam ut dicendo eam assequi, dignoque celebrationis studio satis efferre queam. O amoenissimum & serenissimum diem, vino & lacte merito imbuendum, quo firmissimum nobis patriae praesidium, anchora, robur, decus immortale natum esse verissime praedicamus. Verè nobis hic dies Urbanus dicendus, qui nostris urbibus, nostris tectis ac sedibus, nostris laribus, domiciliis, bonis, ac fortunis omnibus praesentissimam serenitatem, & summam attulit laetitiam. Sed quid tempora? quid lucem, diemque appello? quod & veterum more atque instituto fieri in natalium dierum celebratione solebat, potius Deo optimo maximo pro hoc tam divino munere & dato, & huc usque conservato, quas possumus animo concipere maximas gratias agamus, votumque pro salute ac incolumitate longissimaque vita Illustriss. Principis concipiamus. Ad te igitur Imperatorum omnium, Regum ac Principum maxime, aeternae Pater, animos & ora nostra convertimus, cujus, quam vivimus, vita est, cujus haec lux, haec dies est, qui provincias constituis, Responas, imperia & regna fundas, heroicis animos, generososque spiritus creas, magistratus excitas, Reges eligis, Principes auctoritate ac dignitate coronas, tibi vicissim labiorum nostrorum victimas offerimus, tibi gratias agimus, quod annis abhinc 36. hunc 25. Maji diem tam feliciter illucescere tuae nationi volueris, quod hunc fortissimi Philippi, libertatis ac religionis verae assertoris ac vindicis constantissimi nepotem, sapientissimi Wilhelmi filium, his temporibus largitus fueris, in quo

in quo animus & zelus est Christianus, in quo omnium virtutum lux, omnis pietatis speculum enitescit, qui literarum est præsidium, Reipub. ornamentum, & Academiae hujus nostræ amplificator magnificentissimus: te invocamus, ô æterne Deus, ut hunc nostrum MAURITIUM ab omni malo clementer & paternè tuearis, & forti tuo brachio contra omnes mundi & Diaboli fraudes & insidiosas machinationes conserves. Serva nobis ô Deus hoc gaudium, ut hunc 25. diem, qui est natalis nostri MAURITII, per multorum annorum feriem hæc illustris Academia solenniter celebrare & condecorare queat. DIXI.

IN NATALEM ILLUSTRISS.

PRINCIPIS ET DOMINI NOSTRI

Clementissimi,

HERMANNI KIRCHNERI, D. J. U. C. P.


Cæs. Orat. & Hist. Profess. Ord.

ACCLAMATIO.

A Urea lux salve, roseis in vecta quadrigis,
Nil mihi qua Maji tempora majus habent.
Urbibus Hassiacis qua jure Urbana vocanda,
Quòd cunabla dati prospera patris habes.
Carminè perpetuo Lani celebranda camœnis,
Auspicio Phœbum qua tenuère tuo.
Digna dies verè vera cognomine lucis,
Edita qua patriæ Luxq; decusq; fuit.
Usq; redi sine nube dies latissima Maji,
Versibus usq; meis concelebranda redi.

C 3

In.





IN EXOPTATISSIMUM ILLU-
STRIS. PRINCIPIS ADVENTUM,

EJUSDEM VOTIVUM CARMEN.

FLores ô flores calathis jactate Camæna,
Quæ colitis vitrei celsa vireta Lani.
Nunc hilares citharas dulcesq; resumite nervos,
Noster amor, Phœbus noster, honosq; redit.
Cede biennalis Musarum è culmine nubes,
Lux, decus, Aonidum, gratia summa redit.
Ite procul tristes pulsa caligine vultus,
Spes, desiderium, delitiumq; redit.
Melle dies ter melle dies saturanda ter haustu
Nectaris, optato quæ jubar ore refers.
Nunc vitale lubet cælum, nunc dicere lumen,
Dicere nunc soles sole solumq; nitet.

ANA-



ANAGRAMMA

IN LAUDEM ET GRATULA-
TIONEM ORNATISSIMI ET DISERTISS.

J. V. M. GREGORII SCHOENFELDII, *cum orationem*
in Illustriss. & Christianiss. Principis ac Herois, MAURI-
TII, Hassiæ Landgravii natalem
haberet.

GREGORIUS SCHOENFELTIUS.

Ex quo adjecta lit. c.


ECCE ÆRUS UT GIGNIS FLORÈS.

EVOLUTIO.

UT rosa nectarea utq; Hyblæus flosculus ornat
Æstivum pratum, sic sacra Musa virum.
In te tot dotes, Musæ ipsæ munere certant,
Mercurius palmam, Calliopeq; petunt.
Nominis ergo tibi quis respondere negabit
Dictio, SCHOENFELTI? nomen & omen habes.
Tu modò *linguarum flores producere* pergas,
Gratus eris Musis, gratus itemq; Deo.

à Joanne Friderico Wilnero Gelnhus. decantatum.

F I N I S.



IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

IN NOMINE DOMINI AMEN

F I N I S

23



Be 231.

8

Db.

ULB Halle 3
002 690 756



56.

VD77







LEM ILLU-
ET POTEN-
PIS AC DOMINI,
VRITII,
GRAVII, COMI-
gen, Dietz, Zigen-
dda, &c.
TIO.

fore
NSULTISSIMO VIRO,
D KIRCHNERO,
ORATOR. ET HISTO-
ANA Professore publico,
I CONVENTV
RGENSIS MEMORI-
CV. DIE MAJI, QUI
lis, Anno Christi 1608.

CHONFELDIO.

ATTORUM,
phus, Typogr. Acad.

IIX.

